

2011 NJCL Convention Advanced Prose Reading Comprehension Test

Passage 1—Vercingetorix et Caesar

Vercingetorix, ubi dē Caesaris adventū [in Biturigum finēs] cognōvit, oppugnātiōne dēstitit atque obviam Caesarī proficīscitur. ille oppidum Biturigum positum in viā Noviodūnum oppugnāre īstituerat. quō ex oppidō cum lēgātī ad eum vēnissent ōrātum ut sibi ignosceret suaeque vītāe cōnsūleret, ut celeritāte reliquas rēs cōnficeret, quā pleraque erat cōnsecūtus, arma cōnferrī, equōs prōdūcī, obsidēs darī iubet. parte iam obsidum trādītā, cum reliqua administrārentur, centuriōnibus et paucīs mīlitibus intrōmissīs, quī arma iūmentaue conquīrerent, equitātus hostium procul vīsus est, quī agmen Vercingetorigis antecesserat. quem simul atque oppidānī cōnspexērunt atque in spem auxiliī vēnērunt, clāmōre sublātō arma capere, portās claudere, mūrum complēre coepērunt. centuriōnēs in oppidō, cum ex significātiōne Gallōrum novī aliquid ab eīs inīrī intellexissent, gladiīs dēstrictīs portās occupāvērunt suōsque omnēs incolumēs recēpērunt.

1. quid fēcerat Caesar?

| | |
|----------------------------|-----------------------------------|
| A. ē prōvinciā discesserat | C. multōs virōs amiserat |
| B. Rōmam redierat | D. in terram Biturigum pervēnerat |
2. quid Vercingetorix contrā fēcit?

| | | | |
|----------|-----------------------|---------------|------------------------------|
| A. fūgit | B. oppugnāre cessāvit | C. sē recēpit | D. lēgātōs ad Caesarem mīsīt |
|----------|-----------------------|---------------|------------------------------|
3. cūr Vercingetorix hoc fēcit?

| | |
|-------------------------------------|-------------------------|
| A. ut exercituī Caesaris occurreret | C. ut oppidum caperet |
| B. ut exercitum Caesaris vītāret | D. ut cōpiās comparāret |
4. quid Caesar deinde facere cōstituit?

| | |
|------------------|--------------------------|
| A. sē recipere | C. Noviodūnum oppugnāre |
| B. castra ponere | D. Noviodūnum praeterīre |
5. cuius lēgātī ad Caesarem vēnērunt?

| | | | |
|--------------------|---------------------|------------------|---------------------------|
| A. lēgātī Caesaris | B. lēgātī Noviodūnī | C. lēgātī Rōmānī | D. lēgātī Vercingetorigis |
|--------------------|---------------------|------------------|---------------------------|
6. cūr lēgātī vēnērunt?

| | |
|-------------------------|------------------------------|
| A. ut Caesarem necāret | C. ut Caesarem ōrārent |
| B. ut Casarem laudārent | D. ut auxiliō Caesarī essent |
7. quid lēgātī quaerēbant?

| | | | |
|-----------|----------|------------|----------|
| A. veniam | B. cibum | C. obsidēs | D. aquam |
|-----------|----------|------------|----------|
8. cur Caesar cōnsēnsit?

| | |
|---|----------------------------------|
| A. quod volēbat rēs celeriter cōnficere | C. quod nōlēbat obsidēs accipere |
| B. quod perterritus erat | D. quod hostēs discesserant |
9. quid Caesar nōn postulāvit?

| | | | |
|---------|----------|--------------|------------|
| A. arma | B. equōs | C. frūmentum | D. obsidēs |
|---------|----------|--------------|------------|
10. quid Caesar faciēbant dum obsidēs trāduntur?

| | |
|--------------------|---------------------------|
| A. quiescēbat | C. rēs administrābat |
| B. cibum quaerēbat | D. commentāriōs scrībēbat |
11. quid centuriōnēs vīdērunt dum arma comparābant?

| | | | |
|----------------------------|----------|--------------|-------------------|
| A. equitēs Vercingetorigis | B. ignēs | C. fugitīvōs | D. ōmen horribile |
|----------------------------|----------|--------------|-------------------|
12. quid oppidānī crēdēbant?

| | |
|----------------------|--------------------------------|
| A. Caesarem fūgissee | C. auxilium advēnisse |
| B. sē moritūrōs esse | D. Vercingetorigem discessisse |
13. quid oppidānī nōn fēcērunt?

| | | | |
|-------------------------|------------------|------------------------|-----------------------|
| A. clāmōrem sustulērunt | B. arma cēperunt | C. portās patefēcērunt | D. mūrum complēvērunt |
|-------------------------|------------------|------------------------|-----------------------|

14. quid centuriōnēs crēdebant?
 A. Casarem cōnsilium mūtāvisse
 B. oppidānōs cōnsilium mūtāvisse
 C. oppidānōs aufūgisse
 D. Caesarem oppidum reliquisse
15. quot Rōmānī in hāc occāsiōne vulnerātī sunt?
 A. multōs
 B. nullōs
 C. nōnnullōs
 D. paucōs

Passage 2—Cicerō Antōnium interrogat

vīsne igitur tē īnspiciāmus ā puerō? sīc opīnor; ā prīncipiō ordiāmur. tenēsne memōriā praetextātum tē pecūniam dēbuisse? 'patris', inquit, 'ista culpa est'. concēdō. . . . sumpsistī virīlem, quam statim muliebrem togam reddidistī. prīmō vulgāre scortum, certa flāgitīi mercēs, nec ea parva; sed cito Cūriō intervēnit, quī tē ā meretrīciō quaestū abdūxit et, tamquam stolam dedisset, in mātirimōnio stābilī et certō collocāvit. nēmō umquam puer emptus libidinis causā tam fuit in dominī potestāte quam tū in Cūriōnis. quotiēns tē pater eius domū suā ēiēcit, quotiēns custōdēs posuit, nē līmen intrārēs! cum tū tamen nocte sociā, hortante libidine, cōgente mercēde, per tēgulās dēmitterēre. quae flāgitia domus illa diūtius ferre nōn potuit. scīsne mē dē rēbus mihi notissimīs dīcere? recordāre tempus illud, cum pater Cūriō maerēns iacēbat in lectō, filius sē ad pedēs meōs prosternēns lacrimāns tē mihi commendābat, orābat, ut sē contrā suum patrem, sī sestertium sexāgiēns peteret, dēfenderem; tantum enim sē pro tē intercessisse dīcēbat. ipse autem amōre ardēns cōnfīrmābat, quod dēsīderium tuī discidiī ferre non posset, sē in exilium itūrum.

16. quō ex tempore Cicerō Antōnium īnspicit?
 A. ab annō novissimō
 B. abhinc trēs mēnsēs
 C. ā prīncipiō
 D. ab diē novissimō
17. Cicerō indicat Antōnium . . .
 A. diū nullam pecūniam habēre
 B. nūper togam praetextam sumpsisse
 C. nullam memōriam habēre
 D. sibi multam pecūniam dedisse
18. secundum Antōnium, cūr ita est?
 A. quod pater pecūniam testāmentō relīquit
 B. quod Antōnius senex est
 C. quod pater pecūniam dēbuit
 D. quod Antōnius iuvenis est
19. cōnsentitne Cicerō?
 A. nōn cōnsentit
 B. paulum cōnsentit
 C. ita, cōnsentit
 D. Cicerō incertus est
20. secundum Cicerōnem, simul atque Antōnius togam virīlem sumpsit, . . .
 A. patrem necāvit
 B. meretrix factus est
 C. uxōrem petīvit
 D. cupiēbat pater fierī
21. quōmodo Cūriō Antōnium adiūvit?
 A. haudquāquam
 B. lentē
 C. invitus
 D. celeriter
22. quō in statū (secundum Cicerōnem) Cūriō Antōnium habēbat?
 A. sīcut uxōrem
 B. sīcut marītum
 C. sīcut amīcum cārum
 D. sīcut filiam
23. Cicerō dīcit Antōnium . . .
 A. amōrī Cūriōnis servīvisse
 B. factum esse patremfamiliās
 C. multōs servōs ēmissee
 D. Rōmā profectum esse
24. quō factō Cūriō Antōnium adiūvit?
 A. eī servōs ēmit
 B. eum dīmīsīt
 C. eum admonuit
 D. eī pecūniam dedit
25. quid fēcīt pater Cūriōnis nē Antōnius domum suam intrāret?
 A. custōdēs dīmīsīt
 B. custōdēs comparāvit
 C. līmen aperuit
 D. filium ēiēcīt
26. quid (secundum Cicerōnem) Antōnium coēgit ut Cūriōnem vīsītāret?
 A. pecūnia et libidō
 B. tempestās mala
 C. nēgotium
 D. spēs libertātis
27. per quid Antōnius domum Cūriōnis intrāvit?
 A. per ianuam
 B. per fenestram
 C. per tēctum
 D. per posticum
28. quid passa est domus Cūriōnis?
 A. nihil
 B. multa flāgitia
 C. dominum crūdēlem
 D. multās tempestātes
29. Cicerō rēs Antōniī scit quod . . .
 A. Cūriō pater Cicerōnem certiōrem fēcīt
 B. Antōnius ipse Cicerōnem certiōrem fēcīt
 C. Cūriō filius Cicerōnem certiōrem fēcīt
 D. dēlātōrēs Cicerōnem certiōrem fēcērunt

30. quōmodo Cūriō Cicerōnī appropinquāvit?
A. laetē B. suppliciter C. superbē D. fortiter
31. quid Cūriō ōrābat?
A. ut Cicerō sē dēfenderet C. ut Cicerō patrem sānāret
B. ut Cicerō sibi pecūniam daret D. ut Cicerō cum Antōniō colloquerētur
32. cūr Cūriō auxiliū ā Cicerōne petēbat?
A. quod pater suus aeger erat C. quod tantam pecūniam Antōniō dederat
B. quod Cicerō erat patrōnus suus D. quod Antōnium timēbat
33. contrā quem Cūriō praesidium petēbat?
A. Cicerōnem B. Antōnium C. patrem suum D. rem pūblicam
34. Cicerō intellegēbat cūr Cūriō Antōnium iuvāre volēbat quod . . .
A. Cicerō quoque Antōnium iuvāre volēbat C. Cūriō amōre ardēbat
B. Cūriō erat benignus D. Cicerō discidium ferre nōn poterat
35. quid Cūriō in animō habēbat sī Cicerō sē adiuvāre non poterat?
A. in exsilium ire B. sē necāēare C. patrem interficere D. Antōniō nūbere

Don't stop here;
there are 15 more
questions on the
next page.

Passage 3—fābula dē Claudiō in caelum ascendentem

quid āctum sit in caelō ante diem III Idūs Octōbris annō novō, initiō saeculī fēlicissimī, volō memōriāe trādere. nihil nec offēnsae nec grātiaē dabitur. haec ita vērā sī quis quaesiverit unde sciam, primum, sī nōluerō, nōn respondēbō. quis coāctūrus est? ego sciō mē liberum factum, ex quō suum diem obiit ille, quī vērūm prōverbium fēcerat, aut rēgem aut fatuum nascī oportere. sī libuerit respondere, dīcam quod mihi in buccam vēnerit. quis unquam ab historicō iurātōrēs exēgit? tamen sī necesse fuerit auctōrem prōducere, quaeritō ab eō quī Drūsillam euntem in caelum vīdit: idem Claudium vīdisse sē dīcet iter facientem "nōn passibus aequīs." velit nōlit, necesse est illī omnia vidēre, quae in caelō aguntur: Appiae viae cūrātor est, quā scīs et dīvum Augustum et Tiberium Caesarem ad deōs īsse. hunc sī interrogāveris, solī narrābit: cōram pluribus nunquam verbum faciet. nam ex quō in senātū iurāvit sē Drūsillam vīdisse caelum ascendentem et illī pro tam bonō nūntiō nēmō crēdidit, quod vīderit, verbīs conceptīs affirmāvit sē nōn indicātūrum, etiam sī in mediō forō hominem occisum vīdisset. ab hōc ego quae tum audīvī, certa clāra afferō, ita illum salvum et fēlicem habeam.

36. quandō Claudius mortuus est?
A. a.d. tertium Id. Oct. B. pr. Id. Oct. C. Id. Oct. D. a.d. sextum Id. Oct.
37. quid (secundum narrātōrem) mors Claudiī infert?
A. annum horribilem B. saeculum novum C. finem beneficiī D. ōmina infēlicia
38. quid narrātor lectōrī explicāre vult?
A. omnia quae dē saeculō novō memōriā tenet C. quot stēllās in caelō mēse Octōbrī sint
B. quāle caelum mēse Octōbrī sit D. quid in caelō eō diē acciderit
39. narrātor lectōrem certiōrem facere vult . . .
A. sē offēnsū esse B. sē animō gratō esse C. sē esse maestum D. sē vērā dīcere
40. patefacietne narrātor unde dē Claudiī ascensū sciat?
A. numquam B. sī voluerit C. ita vērō D. sī aliquis eum coēgerit
41. cūr narrātor est liber?
A. quod dominus mortuus est C. quod nunc est rēx
B. quod liber nātus est D. quod est fatuus
42. cūr narrātor patefacere nōn vult unde dē Claudiī ascensū in caelum sciat?
A. quod narrator rē vērā nescit C. quod historicī omnia scit
B. quod nēmō testimōnium ab historicō postulat D. quod narrātor amīcō praesidium obtulit
43. quem rogāre oportet eum quī dē Claudiō testimōnium petit?
A. illum quī Drūsillam in mātirimōnium dūxit C. illum quī apud Drūsillam habitat
B. illum quī Drūsillam interfēcit D. illum quī Drūsillam ad caelum ascendentem vīdit
44. unde ille dē Claudiī ascensū scit ?
A. quoque Claudium vīdit B. est servus Claudiī C. bene Claudium nōvit D. Claudius illī narrāvit
45. quōmodo Claudius iter ad caelum fēcit?
A. celeriter B. impāribus passibus C. laetē D. sine comitibus
46. cur ille omnia quae in caelō aguntur videt?
A. est curātor viae Appiae B. est servus Iovis C. est deus solis D. est Appius Claudius
47. quī quoque eādem viā ad caelum ascendērunt?
A. Augustus et Tiberius B. Augustus et Caligula C. Tiberius et Caligula D. Caligula et Drūsilla
48. quis illī nunc crēdit?
A. omnēs B. virī scelestī C. nūntius bonus D. nēmō
49. indicetne ille, sī hominem in mediō in forō occisum videat?
A. certē B. probābiliter C. fortasse D. minimē
50. quid narrātor illī tandem offert?
A. invidiam B. ōmina mala C. fortunam bonam D. multōs fēlēs